



DISPUTATIONUM FEU-
DALIUM

P R I M A:

DE PRÆCIPUIS
AD CAUSAM FEUDO-
RVM EFFICIENTEM PERTI-
nentibus:

Quam

Divina favente Gratia:

*In Amplissima Studiorum Universitate
Argentoratensi:*

SUB PRÆSIDIO

GEORGII-DAVIDIS
LOCAMERI J. U. DOCTORIS ET
PROFESSORIS OR-
dinarij:

Publicè instituet

JOHANNES SÖW CURIOVARISCUS.

*In Auditorio majori
Mensis Decemb. die*



ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ.

M, DC, XXI

305.

35

LXX

1621, 3.



*Illustrissimo ac Celsissimo Principi
ac Domino,*

**DN. CHRISTIANO,
MARCHIONI BRANDE-
BURGENSI: PRUSSIAE, STETINI, POME-
RANIAE, CASSUBIAE ET VANDALORUM, NEC
non Silesiae, Grossiae & Jägerndorff Duci; Burggravio
Noribergensi & Principi Rugiae: Domino
meo Clementissimo:**

Disputationem hanc

*In testimonium debita subjectionis,
debita quae pax est humilitate &
observantia*

Dedico & Consecro

JOANN. EOTHE



Σὺν Θεῷ

T H E S I S I.

DE Feudis (a) disputationes aliquot proposituri, in primis ea ipsa *ὡς τύπος* describimus, quod sint jura (b) sub mutua fidelitatis (c) ratione constituta.

(a) A fides sic appellatis. *lib. 1. F. tit. 23. per quos fiat investit. in fin. inflexo non nihil, & ad Longobardorum vocem conformato vocabulo. Feudi enim forma essentialis in fide seu fidelitate consistit: quod innuunt hęc verba sequentia. Fidem autem Longobardis dici fede notat Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. 3. n. 7.*

(b) Secundum formam sc. & essentialiam suam: ut *lib. 1. F. tit. 25. quib. mod. feud. constit. pot. & lib. 2. F. tit. 1. de Feud. cognit. §. ult. Aliter, & materialiter seu pro re juri feudali subiecta accipitur feudum lib. 1. F. tit. 4. si de investit. feud. controvers. fuerit in pr. & lib. 2. F. tit. 8. de Investit. de re alien. facta. §. e contrario. & tit. 26. si de feud. defunct. content. sit §. inter filiam. 1. & §. si quis per triginta. 4. & alibi.*

(c) Quæ autem hac, veluti specifica feudi differentia, contineantur: infr. declarare studebimus.

I I.

AGemus autem primùm de feudi novi Constitutione (a:) Deinde, de ipsius constituti Natura seu Qualitatibus (b) Iuribus (c) & Accidentibus: (d) Tum de translatione ejusdem per Successionem:

A 2 (e) Quar-

(e) Quartò de istius sic translati seu Anti qui singularibus (f:) & Denique de Iudicijs feudalibus, exercendis tum cum Iura illa feudorum spontaneam executionem non habent (g:) Non quod verbosos velimus facere commentarios; sed ut viam magis proponendis quæstionibus sternamus, & de iisdem propositis sententiam nostram breviter aperiamus.

(a) *Hac disput. 1. & seq. per tot. & disput. 3. parte prior.*

(b) *Disput. 3. parte poster.*

(c) *tùm ei qui concessit, tùm ei qui accepit feudum competentibus: disput. 4. & 5.*

(d) *Alienatione, sc. & Amissione feudi: disput. 6. & 7.*

(e) *mortis videlicet causa contingentem: disput. 8.*

(f) *disput. 9.*

(g) *disput. ultima.*

III.

Constitutionem igitur Feudi quod attinet, occurrunt in ea primùm causæ Efficientes, à quibus; deinde Modi, per quos; postremò Materia seu Res, in quibus id constituitur.

De ordine hîc non sumus valdè solliciti: rationem tamen vel istam apponimus, quòd Modi efficiendi, cum causis Efficientibus majorem cognationem habeant: ideoque propinquiori loco, & ante Res ipsas commodius exponantur.

IV.

In ipsis autem Causis Efficientibus (quas prima hac disputatione pertractabimus) offerunt se primùm feudorum Auctores, & Libri de jure feudali conscripti: deinde Personæ, quæ dare & accipere feuda possunt: & tandem Differentiæ feudorum, ratione causæ efficientis notandæ.

V. An.

Autores feudorum accipimus, qui Iura feudorum, quâ talia sunt (a,) introduxerunt (b:) eosq; Longobardos (c) fuisse cum frequentiori Dd. Schola statuimus. (d)

(a) h. e. quâ certam formam, ex fequentibus magis apparituram, acceperunt. Aliâs quippe & in genere suo ut beneficia seu concessionem, pro fidei subiectione, militiâ, aliâve operâ considerata, haud dubiè ex communi jure Gentium repetenda, & ipsi humano generi communiter ascribenda essent. Quod probant exemplatum historiae sacre, in Sedecia; *Ier. 52. v. 3.* alijsque antiquioribus: *Genes. 14. v. 3.* tum Juris Romani, in Militijs, Clientelis, agris limitaneis: *Nov. 53. c. 5. l. 1. & 2. C. ne quis in suâ parocin. 11. 53. l. ult. C. de fund. limitroph. 11. 59.* itemque Solduriorum apud Gallos: *Cas. comment. de bell. lib. 3.* & prisorum Germanorum, in equo illo bellatore principis liberalitate exigendo: *apud Corn. Tac. in lib. de sit. & mor. Germ.*

(b) de his enim præcipuè dubitatur: de ijs verò qui hæc introducta amplificaverunt ex ipsis feudorum libris apertius constat.

(c) qui olim ad ripam Albis (ubi nunc est regio Meideburgensis & Halberstatensis) confidentes, indeque progressi in Pannoniam, tandem cum permixtis aliquibus Saxonibus & Suevis seu Pomeranis, ann. Chr. 568. in Italiam irruperunt, & regnum ibidem ultra ducentos annos tenuerunt. *Philip. Mel. in Chron. lib. 3.*

(d) propter vocabula præsertim Longobardica in hac materia multa occurrentia; & mentionem legum Longobardicarum crebram; & alias denique circumstantias ex ipsa Longobardorum historia elucentes. *vid. Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. 2. n. 20. & seqq.*

Libros autem intelligimus, qui in corpore Iuris civilis, Feudorum Consuetudines (a) inscribuntur,

tur, & dispari (b) ac promiscua constitutione, Con-
suetudines locorum, (c) Responsa prudentum, (d)
& Constitutiones Impm. (e) complectuntur: Aucto-
res autem seu compositores certos (excepto libro
quinto f) non habent (g.)

(a) à potiore sc. parte, quam sine scripto venire, ex ijs quæ
hic in seqq. traduntur, junct. lib. 2. F. tit. 1. de cognit. feud. in pr. l. 2. §.
his legibus. s. ff. de Orig. Jur. manifestum est.

(b) in editionibus enim nostris Gothofredianis duo sunt
libri: quorum in priori non alia ab alijs deprehenditur diver-
sitas, quàm quod capitula & tituli ejus aliter, atque in editio-
ne Cujaciana distinguantur: In posteriori autem hæc occur-
rit discrepantia: quod capitula quædam in eo sint Ordinaria,
eaque rursus vel in titulos tantùm distribuuntur: ut in edit.
Vulg. cum gloss. Accursu; cui respondet editio Gothofrediana à princ.
lib. 2. usq; ad tit. 58. inclusive: vel in alios libros dividantur: &
quidem interdum duos; quorum secundus à tit. editionis Gothofr.
23. incipiat; quam distinctionem iisdem retentis titulis (omissa tan-
tùm constit. de pace tenend. cum appendice de Allodijs) observat
Schenck L. B. à Tautenberg in tract. suo feud. interdum tres:
quorum secundus similiter à dict. tit. 23. tertius autem à dictæ edi-
tionis Gothofr. tit. 25. inchoetur: quam distributionem servat Cu-
jacijs, titulorum tamen comprehensione perinde hic atq; alibi di-
versa. quædam verò sint Extraordinaria: quæ ex Ardizone &
Alvaroto, per eundem Cujacium libro quarto adjecta, numero ti-
tulorum Cujaciano in edit. Gothofr. post lib. 2. tit. 58. collocantur.
Quibus tandem subjiciuntur Imperatorum constitutiones.
lib. 5. per tot.

(c) quorum passim in libris istis fit mentio, ut lib. 1. F. tit. 19.
Constitutiones feudales Domini Lothar. in pr. & tit. 27. de feudo
dato in vicem legis commissor. & lib. 2. F. tit. 9. qualiter olim pote-
rat feud. alienari. in princ. & c.

(d) Veluti Oberti de Orto, Gerardi Nigri Capagisti & a-
liorum innominatorum. lib. 2. F. tit. 25. si de feudo Vasallus ab
aliq. interpellatus. & tit. 30. de feudo fœminæ, & c.

(e) Ger-

(e) Germanorum: ut Lotharij Primi *lib. 1. F. tit. 19. constitutiones feudales Dom. Lothar. & tit. aliquot seqq.* Conradi Secundi (Salici dicti) *lib. 1. F. tit. 1. §. 2.* Henrici Secundi (aliàs Tertij nominati) *lib. 2. F. tit. 57. quot testes sunt necessarij.* Lotharij Tertij *lib. 2. F. tit. 52. de prohibita feudi alienat. per Lothar.* Conradi Tertij *lib. 2. F. tit. 40. de capitulis Corradi. & tit. 34. de Lege Corradi.* Friderici Primi *lib. 2. F. tit. 27. de pace tenenda & ejus violat. & tit. 53. de pace ten. inter subd. & tit. 55. de prohib. feud. al. per Frid. & tit. 56. quæ sint Regal.*

(f) Quem à reliquis distinxisse & adjectis nonnullis Imp. Constit. auxisse, ipsemet Cujacius profitetur: *in prolegom. feud. in princ.*

(g) de quarto (loquimur hîc secundum distinctionem Cujacianam) hoc verè dici facilè omnes concedunt: de præcedentibus autem sunt qui aliter opinantur, & primi libri auctorem ponunt Gerardum Nigrum, secundi & tertij Oberum de Orto; utrumque consulem Mediolanensem, temporibus Friderici Primi Imperatoris. *Cujac. in prolegom. feud. in princ. Obrecht. tract. feud. lib. 1. c. 1. n. 6. ex Othone Frising. lib. 2. de reb. gest. Frid.* Veruntamen res ipsa & vel ordinis ratio neglecta suadet, ne unius tantùm hominis, & maximè Sapientis (quo encomio uterque ille ornatur *in lib. 2. F. tit. 25.*) opus hîc agnoscamus: sed ut omnes hos libros ex varijs variorum, ac partim Imperatorum partim privatorum, constitutionibus, scriptis, & notatis, per quem vel quoscunque tandem confarinatos credamus.

VII.

QUÆRITUR circa hos libros feudales PRIMÒ: An Consuetudines (a) in ijs contentæ, revera jus apud Nos (b) faciant? Affirm. (c)

(a) de constitutionibus enim Imp. res plana est. *arg. §. 1. sed & quod principi. 6. Inst. de Jur. Nat. Gen. & Civ.*

(b) Movet, quod consuetudo certorum locorum ad alia loca se non extendat: nec ipsi Longobardi auctoritatis ejus fuerint.

fuerint, ut Nobis jura dare potuerint. *arg. l. ult. ff. de jurisd. ubi Dd. talia præfertim quæ exactæ Juris rationi non per omnia consentiunt. exempl. lib. 2. F. tit. 26. si de feudo defuncti content. sit. §. filij nati.*

(c) Eò quod longissimo jam usu, & scientibus ac permit- tentibus Impp. (si non etiam expressè id aliquando volente Friderico II. ut quidem Odofredus *in auth. cassa. C. de SS. Ec- cles. testatur.*) in toto Imperio receptæ, & in Academijs publi- cè prælectæ, adeoq; rebus ipsis & factis, voluntate tum Impp. tum populi declaratâ, pro legibus valere jussæ & observandæ sint: *arg. l. de quibus. 32. ff. de Legib. nisi alia Lege vel Consuetu- dine feudali, recentiore sc. aut specialiore, impugnentur: §. pen. Inst. de Jur. Nat. Gen. Civ. l. 3. ibi, quæ in oppido. C. de adif. priv. Ordinat. Cam. part. 1. tit. 57. ibi, Gewohnheiten der Fürsten- thumben/ Herrschafften/ vnd Gericht. add. Gail. 1. obs. 36. per tot. vel juri divino, aut rationi naturali, contrariæ inveniuntur. arg. l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

VIII.

SECUNDÒ: An eadem capitulorum extraordinario- rum, quæ ordinariorum sit auctoritas? Vix ad- mittimus.

Et si enim Cujacius id velit *lib. 4. Feud. tit. 73.* quia tamen nec usus istorum inveteratus, vel in foro vel in schola, receptus monstrari potest: nec etiamnum hodie de recipiendo eo omnes consentiunt: ideo cum plerisque alijs Dd. ita sentimus, quod capitula ista extraordinaria ad quæstionem aliquam ex ipsis capitulis ordinarijs dubiam declarandam, adeoque & decidendam rectè allegentur: *exempl. lib. 2. F. tit. 24. Quæ fuit pri- ma caus. benef. amitt. §. ult. junct. lib. 4. Feud. tit. 78. Culpam unius ex coher. cat. non præjudic. de quo Obrecht. in tract. Feud. lib. 4. cap. 9. n. 122. & seq. ad labefactandam autem sententiam ex ordi- narijs capitulis certam, non rectè adhibeantur.*

IX. TER-

TERTIO: An vigor istorum librorum, quantum præsertim ad Constitutiones Impp. attinet, etiam ad Clericos (a) pertineat? Affirm. (b)

(a) Quod constitutio sine assensu Ecclesiasticarum personarum facta, easdem non obliget. *c. quæ in Ecclesiarum. 7. de constit.*

(b) Quia Clerici eo ipso quod à Laicis feuda accipiunt, eorundem etiam Juribus sese subijciunt: ut proinde etiam ab istis, & secundum eorum constitutiones sint judicandi. *c. ex transmissa. 6. & seq. de for. compet. Obrecht. tract. Feud. lib. 1. cap. 1. n. 13. & seqq.*

X.

QUARTO: An textus Feudorum, etiam extra feudalem materiam ad causarum decisiones quid faciant? Disting.

Ad causas enim alio jure non decisas, faciunt tantum eatenus, quatenus ratione aliqua communi & in alijs etiam causis valiturâ nituntur: *arg. l. illud questum. 32. ff. ad L. Aquil. per se verò, & tùm præter tùm contra jus commune, in causis alijs frustra & ineptè allegantur: arg. l. Nam ut ait. 13. cum seqq. ff. de Legib. add. Obrecht. tract. feud. lib. 1. c. 3. n. 9.*

XI.

QUINTO: Vtrùm in casu quo deficiente (a) jure feudali ad jus commune perveniendum est, civile, an verò Canonicum jus, prius apud Nos ac potius sit habendum? Sed inconsideratè id quæri videtur (b.)

(a) quod fieri intelligendum est, si & textus feudales, & ratio eorum, & communis Feudistarum opinio, & usus manifestus deficiat. *fac. l. scire. 17. l. minimè. 23. ff. de Legib. §. sine scripto. 9. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.*

(b) Hoc præsupposito; Quod Jus civile Justinianeum ex autoritate Lotharij Saxonis Imperatoris observandum sit omninò,

B

omninò,

omnino, nisi qua in parte mutatum appareat: Canonicum
verò non aliter, quàm ubi, & in quibus causis, usu est rece-
ptum, apud Nos vigorem obtineat. Ea namque ratione sit,
ut si Canonicum jus, civili contrarietur; jam ipsum jus civile
mutatum, nec amplius esse, nec in contentionem cum jure
Canonico (solo quippetunc existente & valituro) venisse vi-
deri possit: Si verò Canonicum jus receptum usu non sit, jam
nec ipsum jus civile, cum altero illo contendat, sed omni
procul dubio, solum valere debeat.

XII.

Personas porrò dantium & accipientium feuda spe-
ctamus, ut qui dandi & accipiendi ea facultatem
habeant cognoscamus: Et de ijs quidem qui dare (a)
feuda possunt (ac plerumque Domini (b,) quemad-
modum ijs appositi accipientes, Vasalli (c) vocantur)
doctrinam hanc summam concipimus: Quod cum
feudi datio sit alienatio quædam (d:) alienandi au-
tem facultas regulariter ut effectus, ab ipso dominio
ut causa dependeat (e;) ideò qui dominus est, in feu-
dum quoque dare possit (f:) nisi specialiter alienare
(g) prohibeatur: Qui verò dominus non est, is etiam
feudum dare nequeat (h;) nisi specialiter alienandi
vel feudum dandi potestatem acceperit (i.)

(a) Sub dandi & accipiendi verbo comprehendimus hanc
quamcunque feudi concessionem & acquisitionem, sive ea
traditione quadam & acceptione rei perficiatur: sive in nuda
concessione & acquisitione obligationis dandi seu præstandi
subsistat: ut ex disput. 3. patebit. Referimus autem dationem ad
Dominum, acceptionem verò ad Vasallum: ut sequètia decla-
rât: cum aliàs & ad Dominum acceptio, & ad Vasallum datio
quædam non inconcinnè referatur: ut in feudi constitutione
per Appropriationem, de qua disput. seq. videre est.

(b) ab honore magis, quem à Vasallis merentur, quàm
domi-

dominio rei feudalis, sic appellati, *lib. 2. F. tit. 23. de content. int. Dom. & Vasal. & alibi. fac. lib. 2. F. tit. 8. de invest. de re al. fact. §. rei autem: exemplo l. quidam. 26. ff. de constit. pec. vocantur etiam Seniores. lib. 1. F. tit. 17. quib. mod. feud. amit. & alibi.*

(c) *d. lib. 2. F. tit. 23. & alibi passim: voce alludente ad German. Saselen; quod Vasalli ex feudis potissimum fructum ferant, & bonis augeantur. Appellantur etiam Fideles. lib. 1. F. tit. 10. de content. int. dom. & fid. & alibi.*

(d) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat investit. in fin. princ.*

(e) *pr. & §. 1. Inst. quib. al. lic. vel non.*

(f) *arg. l. in re mandata 21. C. mandati. l. 2. ff. si à par. quis man. cujuscunque sit conditionis: Mas aut Fœmina; Clericus aut Laicus: Senex aut Juvenis; Summus aut Imus. lib. 1. F. tit. 1. & lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux, March.*

(g) *ut sunt infans, furiosus, mente captus, surdus & mutus simul & à natura talis; propterea quod horum nullum sit, vel declarari possit animi judicium; quod tamen in alienationibus requiritur: §. furiosus. 8. & seq. Inst. de Inutil. stip. §. per traditionem. 41. (aliàs 40.) ibi, voluntatem domini. Inst. de rer. div. l. discretis. 10. C. qui testament. fac. possunt. item pupillus, prodigus cui bonis interdictum est, tam cum quàm sine auctoritate & consensu tutorum & curatorum. §. nunc admonendi. 2. Inst. quib. alien. lic. vel non. l. Julianus. 10. pr. ff. de curat. fur. & not. lit. seq.*

(h) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat investit. in princ. quales sunt tum ij qui nil quicquam in bonis habent, ut servi & filijfam. l. acquiruntur. 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom. tum ij qui bona, quorum ratione de feudi constitutione quæritur, administrandi tantum potestatem habent: ut Tutores; Curatores; l. magis puto. 5. & passim. ff. de reb. eor. qui sub tut. l. lex qua tutorès. 22. C. de admin. & per. tut. (nisi sint Tutores vel Curatores Principis. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 1. n. 104.) Procuratores, etiam omnium bonorum: l. procurator totorum. 63. ff. de procurat. Personæ Ecclesiasticæ papâ inferiores, ratione bonorum Ecclesiasticorum infeudari non solitorum. lib. 1. F. tit. 1. in princ. ibi, si antiquus consuetudo. & titul. 6. Episcop. vel Abbat. vel Abbatif.*

sb (i)

B 2

in fin.

in *fin. princ.* unde autem cognoscantur bona infeudari solita, tradit Obrecht. *d. tractat. feud. lib. 2. cap. 3. num. 35. & seqq.*

(i) *d. l. 63. ibi, sine Speciali. ff. de procurat. l. procuratorem. 16. C. eod. & dict. lib. 1. F. tit. 1. & 6.*

XIII.

Occurrunt autem hîc de personis partim per se partim respectu certarum rerum, vel aliorum consensus consideratis, **DUBITATIONES** aliquot: & **PRIMA** quidem de Rustico: An & is feudum dare possit? Negam.

Quòd in libris feudorum, ubi de ijs qui feuda dare possint tractatur, mentio fiat tantùm eorum qui in dignitate sunt aliqua: *lib. 1. F. tit. 1. & lib. 2. F. tit. 10. quis dicatur Dux, Marchio, & c.* Et rusticus præterea Jurisdictionis, quam dominus ratione feudi in Vasallum consequitur *lib. 2. F. tit. 15. de invest. in marit. fact. sit incapax. l. privatorum. 3. C. de jurisd. om. Jud.* Contrariam autem Dd. opinionem, in ijs demum locis admittimus, quibus ea recepta & consuetudine firmata probatur. *Obrecht. dict. tract. feud. lib. 2. cap. 1. n. 68. & seqq.*

XIV.

SECOND^A de scœmina: An & hæc feudum concedere possit? Affirm. (a) nisi vel ex generali forma statuti, vel singulari magistratus decreto, alienare prohibeatur (b.)

(a) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat investit. §. 1. vers. scœminam quoq.*

(b) *arg. d. lib. 2. tit. 3. in princ. Obrecht. d. cap. 1. n. 78. & seqq.*

XV.

TERTIA de Adolescente: An is sub Curatore constitutus (a,) feudum concedere possit ita ut concessio ipso Jure sit aliqua? Affirm. (b)

(a) de

(a) de eo enim qui curatorem non habet expeditior res est, quod ei succurratur per restitutionem in integrum. l. 3. C. de in integ. restit. min.

(b) Quod & nulla lege fundata & utilitati publicæ ac usui ipsorum minorum inimica sit sententia, quod gesta & alienata per minores sub curatoribus constitutos, indistinctè pro ipso Jure nullis, vel etiam semper rescindendis, haberi debeant. l. quod si minor. 24. §. 1. ff. de minor. utilius autem sit & privatim & publicè, ut dicamus, quod gesta per minores indistinctè sint firma per se; infirmentur verò eatenus tantum, quatenus Prætori id æquum visum fuerit, servato tamen aliquo in temporibus restitutionum discrimine: quod innuit d. l. 3. C. de in integ. restit. Cæterum non tantum in rebus mobilibus, sed immobilibus etiam hæc locum habere, apparet ex l. 1. C. de fidejuss. min.

XVI.

QUARTA de Filiofamiliâs: An is de bonis adventitijs pleno jure possessis feudum dare possit? Affirm.

Quod istorum bonorum liberam habeat disponendorum licentiam. Nov. 117. c. 1. §. 1. alienare autem illa duntaxat prohibetur quorum ususfr. apud parentes est constitutus. l. ult. §. id ipsum 5. vers. filijs autem fam. C. de bon. que lib.

XVII.

QUINTA de Prodigio: An is in casu quo prodigus est, interdictionem autem à magistratu nondum est passus, rectè concedat feudum, postea ob interdictionem secutam non revocandum? Affirm.

Quod & testamentum ejus ante interdictionem factum, sit ratum. §. item prodigus. 2. Inst. quib. non est permiss. fac. test. & feudi concessio perinde ac quævis donatio, per se res sit honesta & licita, nec proinde Vasallo invidenda; nisi vel dolus quis ejus in altero inducendo, vel aliâs non plena ipsius con-

B 3.

cedentis.

cedentis voluntas probari possit. *arg. l. 1. §. 1. ff. de dol. l. 1. in fin. ibi, item si qua alia. ff. ex quib. ca. maj.*

XVIII.

SEXTA de Tutoribus & Curatoribus: An hi, accedente saltem magistratus decreto, res pupilli vel adolescentis in feudum dare possint? Neg.

Quod non aliter & ipsum Prætoris decretum in distractionibus rerum ejusmodi sit aliquod, quam si æs alienum immineat: *l. magis puto. 5. §. si æs alienum. 14. ff. de reb. eor. qui sub tut. per feudi autem constitutionem, non necessitatibus æris alieni succurri, sed beneficium potius in alterum conferri, ex libr. 2. F. tit. 23, in quib. cau. feud. amit. in fin. satis apparet.*

XIX.

SEPTIMA de Procuratore omnium bonorum cum libera: An is aliquid de bonis sibi commissis in feudum dare possit? Neg.

Propterea quod & libera administratio alicui concessa, non usquequaque liberam alienandi potestatem tribuat: *l. 1. §. 1. ff. quæ res pign. dar. poss. l. sicut. 8. §. an pacisci. 5. ff. quib. mo. pign. solv. sed eam tantum quam recta & utilis administratio desiderat: quod aperte testatur l. creditor. 60. §. Lucius. 4. ff. mand. l. quaratione. 9. §. nihil autem. 4. ibi, ex negotijs. ff. de acq. rer. dom. add. Coll. Jur. Argent. lib. 3. tit. 3. 9. 7. & seqq. Feudi autem concessionem, liberalitatem quandam seu donationem esse, adeoque perditionis speciem habere, patet ex libr. 2. F. tit. 23, in quib. ca. feud. amit. junct. l. filiusfam. 7. princ. ff. de donationib.*

XX.

OCTAVA de Episcopis & Prælatibus: An bona in feudum solita, ad Ecclesiam semel reversa, inconsulto

sulto Papa vel Capitulo, de novo in feuda dare possint? Affirm.

Quòd hujusmodi feudi concessio non tam de novo facta, quàm repetita & renovata videri possit: ut pluribus allegatis probat Obrecht. *tract. feud. lib. 2. cap. 3. num. 41.* & eandem tamen sententiam ex alijs limitat, quod non procedat, 1. si bona ista, postquam reversa sunt ad Ecclesiam, incorporata sunt mensæ Prælati: 2. si tempore concessionis novæ, Ecclesia sit indigentior: 3. si res interim, dum feudi fuit, longè melior sit effecta: & 4. denique, si in duriolem causam nova concessio sit facienda. *dict. cap. 3. n. 46. 49. & 2. seqq.*

XXI.

NONA de Papa: An rem Ecclesiæ magni pretij absque consensu Cardinalium in feudum concedere possit? Neg.

Quòd ubi magnum Ecclesiæ præjudicium vertitur, solius Papæ voluntas non sufficiat, sed plurium judicium requiratur. *Id. Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 1. num. 15.*

XXIII.

DECIMA de Principe regni quocunque: An is ex plenitudine potestatis suæ, bona subditorum, ob utilitatem publicam, sine refusione pretij, alijs in feudum dare possit? Neg.

Quòd æquum sit, omnium contributione sarciri quod pro omnibus datum est: *l. 1. ff. de leg. Rhod. de jact. & refusio pretij pro re privati alicujus in causam publicam collata & impensa, expressè præcipiatur in l. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præm. libert. accip. & l. venditor. 13. §. 1. ff. Com. prædior.*

XXIII.

XXIII.
UNDECIMA, de Principe regni Electitij : An de bonis regni, absque consensu Electorum seu Statuum, feudum alicui de novo concedere possit? Neg.

Quod non absolutè, sed quantum ad providentiam subditorum, domini loco habendus videatur: *exemp. l. tutor. 27. ff. de admin. tut. nec ultra quàm administratio utilis requirit, alienandi quid potestatem accepisse videri debeat: per alleg. supr. d. 19. usque ad eò ut nec feuda regni reversa indistinctè iterum & de novo in feuda dare possit. ut intelligi potest ex not. d. 20. add. Capitulat. Carol. V. apud Sleid. lib. 1.*

XXIV.

DUODECIMA de dominis rerum per electionem constitutis quibuscunque : An Episcopus, vel Princeps, per electionem constitutus, successorem suum gravare possit, ut is alteri feudum de novo concedat? Neg.

Quod de se quemque promittere oporteat. *l. inter stipulantem. 83. pr. de V. O. nec contra alium quàm heredem ex persona defuncti obligatio incipiat. l. ex qua persona. 149. ff. de R. J. r. t. C. ut act. & ab her. constat autem quod Successor Episcopi vel per Electionem constituti Principis, haeres ejusdem in rebus Ecclesiae vel regni non sit: sed novo ac proprio titulo res istas nanciscatur in eo statu, quo per decessorem sunt relicta: adeoque & tum demum successor ex facto decessoris Vasallum acquirat, cum feudum vivo adhuc decessore ad aliquem pertinere cepit. lib. 1. F. tit. 3. qui Successor. feud. dar. ten. O. brecht. tract. feud. lib. 1. cap. 5. n. 96. & seqq.*

XXV.

DE ijs etiam qui feuda accipere possunt, expressa quidem est regula, quod personæ eorum non distinguantur (a:) & incidunt tamen & hic de aliquibus

bus tūm per se & simpliciter, tūm respectu quodam
consideratis **DUBIA** nonnulla: & **PRIMUM** quidem de
Fœminis: An & hæ feudum accipere & habere pos-
sint? Aff. (b)

(a) *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat investit. §. 1. vers. personam vero.*

(b) *per text. lib. 1. F. tit. 8. de success. feud. §. ult. & lib. 2. F. tit. 17.
de eo qui sibi vel her. & tit. 30. de feud. fam. Et si enim minùs ido-
neæ sint ad præstanda ea quæ à Vasallis regulariter requirun-
tur: nihilominus tamen rectè feuda tenebunt propterea
quod dominus ijs qualibuscunque contentus fuerit, & gra-
tiam ijs fecisse videri possit, ut per substitutum aliquem offi-
cia feudalia præstent. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 2. n. 68. &
seq. ubi plur. alleg.*

XXVI.

SECUNDUM de Clericis; An & ij, ac præsertim à Lai-
cis, rectè feuda accipiant? Affirm.

*per text. lib. 2. F. tit. 40. de Capitul. Corrad. §. ult. concessâ &
hïc facultate per substitutum servièdi, cùm ipse clericus non
possit: lib. 2. F. tit. 21. de Vasal. mil. qui arm. bell. depof. Nec obsta-
bit hïc ratio Jurisdictionis quam dominus Laicus in Vasal-
lum Clericum consequeretur: lib. 2. F. tit. 15. de investit. in mor.
junct. c. si diligent. 1. 12. de for. compet. eò quod Jurisdictio ista nõ
nisi ratione feudi, nec repugnante jure Canonico, competat.
c. ex transmissa. 6. de for. compet. Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 2.
num. 3. & seqq.*

XXVII.

TIERTIUM de Infantibus & furiosus: An ijs per tu-
tores, curatores, vel parentes feudum acquiri pos-
sit? Aff.

Quòd enim infans etiam & furiosus feudum tenere pos-
sint, ex generalitate regulæ supr. θ. 25. propositæ colligitur:
modum autem ijs acquirendi per tutores & curatores & pa-
rentes absolvi posse, ex communi Jure Civili apparet. *l. si in-
fanti.*

santi. 18. pr. & §. 2. C. de Jur. de lib. l. ult. §. sin autem ex alia. 3. & §. tali itaq. 7. cum seqq. C. de cur. fur. l. Publia. 26. pr. ff. depos. Partes autem Vasallorum proprias, eadem illæ personæ patrocinantes, donec infans legitimæ ætatis, vel furiosus compos mentis fiat, sustinebunt & procurabunt. lib. 2. F. tit. 26. si de feud. defunct. content. §. minori. & seq. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 2. num. 27.

XXVIII.

QUARTUM de Pupillo, minore 25. annis, & Prodigio: Num hi sine auctoritate & consensu tutorum & curatorum feudum rectè accipiant? Aff.

Quodd hujusmodi personæ in obligationibus quidem & alienationibus auctoritate & consensu aliorum opus habeant: *l. obligari. 9. pr. ff. de auct. tut. l. Julianus. 10. ff. de cur. fur.* at non in acquisitionibus; ne remedium pro ijs introductum, contra rationem æquitatis iisdem jacturam inferat: *contra l. plures. 19. in fin. C. de fid. instrum.* Sanè, cum & ex feudi acceptione oriatur quædam obligatio, ad præstanda ea quæ vasalli sunt officia; ideo dicemus, quod pupillus quidem & prodigus, sine tutore & curatore, non nisi naturaliter obligentur, nec conveniri de ijs præstandis possint, nisi quatenus ex accepto feudo locupletiores sunt facti: *pr. Inst. de auct. tut. l. pupillus. 5. ff. de auct. tut. arg. l. nam hoc natura. 14. ff. de cond. indeb.* minor verò obligetur etiam civiliter & ita, ut ipso quidem Jure exigi ab eo officia illa possint, veruntamen per integram restitutionem aut exceptionem ei succurratur, ne omninò & semper ea præstare cogatur. *l. 3. C. de in integr. rest. min. l. invitus. 156. §. 1. ff. de R. J.* Cæterum si nulla sit causa quæ obligationem ejusmodi personarum mutuam impediatur, tunc pro ratione circumstantiarum differenda erunt aliqua; pleraque autem per alios expedienda. *d. lib. 2. F. tit. 26. §. minori. & seq. Obrecht. tract. feud. lib. 2. cap. 2. num. 32. & seq.*

XXIX.

QUINTUM de Surdis & Mutis vel aliàs imperfe-
ctis: An & his feudum dari possit? Aff.

Libe-

374.

Liberum enim est domino benefacere cui velit. *arg. l. in re mandata. 21. C. mand. adeoque & acquirere sibi vasallos minus utiles, & servitia per substitutum praestituros. ut in simil. supr. 8. 25. & 26. Obrecht. dict. cap. 2. num. 18. & seqq.*

XXX.

SEXTUM de Servis & Monachis: An & his feudum dari possit? Affirm.

De Servis enim expressus est textus *lib. 2. F. tit. 3. per quos fiat investit. §. 1. vers. nam & servus.* De monachis autem idem dicendum esse, patet ex comparatione eorum & similitudine quam habent cum servis: cum per ingressum monasterij libertatem amittant & ipsum Monasterium, dominum sortiuntur. *c. cum olim. 14. de privileg.* Effectus autem dationis hujusmodi pro voluntate ipsius concedentis: & qualitate rei in feudum concessa erit varius. Si enim feudum sit datum servo vel monacho, contemplatione eorum magis, quam domini vel monasterij; tunc dicendum erit, quod utilitas ejus cum ipsius servi vel monachi persona duret & ambulet (ut qui quoque tempore dominus est servi seu monachi, is etiam, nisi alia ratione incapax sit, commodum feudi per servum sentiat: sin ipse servus vel monachus libertatem recipiat, ipsemet ille sibi etiam utilitatem feudi acquirat) & tandem etiam cum eorundem personis extinguatur, ut de monacho tradit *Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 2. n. 65. aliud innuens in servo: ibid. n. 58. de quo tamen & ipso doctrina ista colligitur ex l. debitor. 82. §. ult. ff. de leg. 2. §. 1. Inst. de her. instit. dummodo feudum consideretur ut ususfructus quidam; lib. 2. F. tit. 23. in quib. cau. feud. am. in fin. qui quotidie constitui videatur. l. 1. §. interdum. 3. in fin. ff. de usufr. accresc.* Sin vero contemplatione domini vel monasterij (quod in dubio praesumitur) servo vel monacho feudum concedatur, tunc ex ipsius etiam domini vel monasterij persona & conditione, de feudo judicandum, nec alia servi alia monachi quam nudi instrumenti ratio habenda erit. *Obrecht. ibid. n. 59. 60. 66. & seq. ubi & de servitijs per alios, quando inepti sunt ipsi vasalli, praestandis.*

C 2

XXXI.

XXXI.

SEPTIMUM de Filiofamilias : An is Feudum accipiens sibi, non patri, commodum ejus acquirat? Affirm.

Aut enim expressa hac conditione filiofam. feudum est concessum, ne utilitas ejus ad patrem perveniat, & tunc res est expedita: *Auth. Excipitur. C. de bon. quælib. fac. lib. 2. F. tit. 2. quid sit investit. §. ult.* Aut nihil est expressum; & tunc in dubio concedens feudum voluntatem suam conformasse videbitur ad communem feudi naturam *l. in obscuris. 114. ff. de R. J.* quæ talis est, ut ad descendentes tantum non etiam ascendentes feudum transeat. *lib. 2. F. tit. 50. de nat. success. feud.* Adde quod feudum plerumque ob militiam concedatur: *fac. lib. 1. F. tit. 19. Constit. feud. Dom. Lothar. pr. ibi. militum. & §. 1. ibi. miles: & c.* eaque ratione castrensis peculij videri possit: *l. 1. C. de castr. pec. 12. 37. cujus commodum patri concedendum non esse ex l. 2. ff. de ad SC. Maced. & l. cum oportet. 6. pr. vers. exceptis castrensibus. C. de bon. quælib. certissimum est.*

XXXII.

OCTAVUM de rustico: Vtrum is, ut rusticus seu in eadem conditione manens, feudum accipere possit: an verò feudum accipiendo nobilitetur? Pr. Affirm: Post. Disting.

Quodd enim rusticus feudum accipere possit ex regula *sapè d. lib. 2. F. tit. 3. vers. personam verò.* elucet, Ex persona autem ipsius concedentis considerandum erit utrum rusticus per feudum nobilis efficiatur vel minùs. Summa enim hæc est, quod si concedens nobilitandi & voluntatem & facultatem habuerit, tunc rusticus ex feudo nobilis fiat; alterutro autem illorum deficiente, non fiat. *add. infr. 0. 36. & 38.*

XXXIII.

NONUM de Spurijs : An & hi feudi sint capaces? Neg.

Tum

Tum quod minus honestè ejusmodi homines, cum alijs, qui ab eodem Domino feuda tenent, in eadem curia stare possint: *Dd. in §. naturales. lib. 2. F. tit. 26. si de feud. def. content. junct. l. ult. in fin. ibi, degeneres. C. de nat. lib.* tum quod & in honorem matrimonij & odium illegitimæ conjunctionis, justius sit, ut hujusmodi beneficia in eos non conferantur. *Obrecht. dict. tract. lib. 2. cap. 2. num. 55. per l. si qua illustris. §. C. ad SC. Orfic.*

XXXIV.

DE C I M U M de capitali crimine damnatis, hæreticis, infamibus: An isti feuda accipere & tenere possint? Neg.

Quod capite damnati, veluti pœnæ servi, nihil ampliùs acquirere possint: *l. si quis filio. 6. §. sed & si quis. 6. ff. de injust. rupt. junct. l. acquiruntur. 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* Hæretici autem nil quicquam cum alijs commune habere debeant. *l. cuncti. 3. & seq. C. de her. & Manich.* Infames deniq; ab honestorum (aliorum convasallorum) consortio segregandi, & à dignitatum præsertim portis arcendi sint. *l. 2. C. de dignitat. 12. 1.*

XXXV.

DIfferentias deniq; feudorū ratione causæ efficientis istas notamus, quod feudum primò aliud (a) sic Nobile, aliud Ignobile: & illud rursus vel Regale (b,) vel Nobile in specie sic dictum: Deinde, aliud (c) Masculinum, aliud Fœmininum (d.)

(a) ratione scil. ipsius concedentis, nobilitandi, sive simpliciter sive cum eminentia quadam, & voluntatem & facultatem habentis, vel minus. *ut patebit ex seqq.*

(b) quod rectè sub nobili comprehendi patet *ex l. 3. ff. de natal. restit. c. constitutis. 46. de testib. & attestat.*

(c) ratione videlicet accipientis. *§. seq. 41.*

(d) Omittimus hîc distinctionem feudi in Antiquum & Novum: *de qua Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. §. n. 48. & seqq.* eò quod ea non tam ex differentijs quibusdam ipsorum vel dantium

C 3 tium



tium vel accipientium, quàm accidente quadam ipsius feudi translatione oriatur. Locus autem exponendæ ejus commodior erit infra. *disput. 9.*

XXXVI.

Nobile feudum est, quo ipse concedens (a) nobilitandi jus habens (b,) accipientem vult nobilem esse (c.)

(a) Ex hoc enim, & non ex ipso feudo, nobilitatem oriri & hauriendam esse, evidenter declarat Obrecht. *tract. feud. lib. 1. cap. 5. n. 21. & seqq.*

(b) sive ex se & plenissimè; ut ipse Imperator: sive ex singulari alterius, Imperatoris puta, concessione; ut alij isto jure & potestate gaudentes. Est enim jus nobilitandi de reservatis summi Principis; ut colligi potest ex l. Imperatores. 13. princ. & §. 1. ff. de Decur. l. sacrilegij. 5. C. de divers. rescript. l. 3. C. de consul. & non spargend. ab his pecun. 12. 3. & expressè traditur passim à Dd: *Sixtin. de Regalib. lib. 1. cap. 2. n. 36.* ex singulari tantum concessione & privilegio alijs competens: ut videre est ex privilegio Archiducum Austriae apud Münster. in *Cosmograph. lib. 3. capit. 355. pag.* (Edit. Basil. de anno 1614.) 1148. quo opus non fuisset, si jure communi etiam alijs, Imperatore inferioribus, potestas illa competeret. arg. l. un. C. de thesauris. 10. 15. Quanquam ipsæ feudorum consuetudines haud obscurè exhibeant istam sententiam, quod ijetiam qui à Ducibus, Marchionibus, aut Comitibus de plebe aut plebis parte feudum acceperunt: nec non & ij qui ab antiquis temporibus à Valvasore aliquo majore feudum tenuerunt, nobiles efficiantur. *lib. 2. F. lib. 10. quis dicat. Dux, & c.*

(c) sive ita ut de novo fiat nobilis: sive, ut cumulum dignitatis accipiat.

XXXVII.

Regale feudum est, quod regalem dignitatem (a,) Ducis puta, Marchionis, Comitibus (b,) annexam habet.

(a) quæ perspicitur ex titulo, membrum quoddam ipsius regni

regni arguente, & potestate cum regalibus conjuncta, qua e-
jusmodi Vasalli eadem ferè in feudis sibi concessis, quæ rex in
regno facere & exercere possunt. *Obrecht. tract. feud. lib. 1. c. 5. n.*
33. Germ. dicemus Reichslehen/einem Reichsstand verliehen.
Cujusmodi feuda, quia Principibus Secularibus concedi so-
lent vexillo, Ecclesiasticis autem scepro porrecto, ideo in il-
lis appellari solent Fahnenlehen; in his verò Scepterlehen.
Id. ibid. n. 34.

(b) *lib. 2. F. tit. 10. quis dicat. Dux, & c.* Quæ autem sint sin-
gularia hujusmodi feudorum, infr. suis quibusque locis indi-
cabimus.

XXXVIII.

Nobile feudum in specie sic dictum est, quo aliquis
auctoritate concedentis (a) simpliciter nobi-
lis (b) est factus.

(a) nobilitandi potestatem habentis: nisi enim cum vo-
luntate ejus, potestas etiam seu Juris auctoritas concurrat, fru-
strà erit. *fac. l. cum te. 9. C. de donat. ante nupr.* Habet autem con-
cedens auctoritatem istam, vel ex se, vel ex concessione supe-
rioris, ut *l. 36. lit. b. nor.* vel denique ipsius legis dispositione,
qua etiam ij qui longa annorum serie feuda pro militiâ, ab ijs,
qui prima & recenti concessione nobilitare quem non po-
tuerunt, tenuerunt, nihilominus nobile efficiuntur. *lib. 2. F. tit.*
10. quis dicat. Dux. vers. qui verò à Capitaneis. collat. vers. ceteri
verò.

(b) h. e. plejorum numero exemptus, cum dignitate qua-
dam, regali tamen inferiore.

XXXIX.

Ignobile quod sit, ex antecedentibus intelligitur:
Quod enim neque regale, neque nobile simpliciter
est, illud ignobile esse constat.

Vocatur etiam Plebejum & Burgense, est Bawers or-
der Bürgerlehen. *lib. 2. F. tit. 10. quis dic. Dux, & c. vers. ceteri.*
Obrecht. tract. feud. lib. 1. cap. 5. n. 45. & seqq.

XL. Que-



XL.

QVæri hîc potest, An nobilitandi voluntas in eo qui nobilitare potest, sed non adjectâ nobilitate feudum concessit, in dubio rectè præsumatur? Aff.

Arg l. beneficium. 3. ff. de constit. princ. Obrecht. dict. cap. 5. num. 24. & seqq.

XLI.

Masculinum (a) feudum est, quod masculus; Foemininum (b,) quod foemina, primùm & de novo (c) accepit.

(a) Germ. ein Mannslehen.

(b) Germ. ein Weiber oder Kuncfel lehen.

(c) Atque in eo est differentia inter feudum foemineum; & feudum quod ex pacto ad foeminas pervenire potest. ut patet ex lib. 2. F. tit. 30. de feud. foem. & lib. 1. F. tit. 15. an marit. feud. ux. junct. lib. 2. F. tit. 17. de eo qui sibi vel hæ. & tit. 11. & success. frat. ibi, nisi ejus conditionis sit feudum vel eo pacto acquisitum. Quamquam usitatum ferè sit, ut indifferenter appellentur Weiber oder Kuncfel lehen / in quibus foeminae succedunt. Rosenth. Synoph. feud. cap. 2. concl. 7. num. 1.

XLII.

QVæri & hîc potest: Vtrum in dubio feudum masculinum, an foemininum sit præsumendum? Pr. Affirm.

Ex lib. 2. F. tit. 11. de success. frat. & tit. 26. quib. mod. feud. admitt. in fin. ibi, si de his nominatim, lib. 2. F. & tit. 48. de feud. non habent.

DEO GLORIA.

Strapberg, Dr. ss., 1693-22

ULB Halle

3

005 303 01X



1017







Farbkarte #13

B.I.G.

EQU.
 305.
 35
 LXX
 1621, 3.
 PUIS
 EUDO-
 PERTI-
 versitate
 VIDIS
 FORIS ET
 R-
 RISCUS.
 ri
 TI,
 EDERTZ.

